



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Francofurti, 1671

Cap. XXVII. De Carruca.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

tem senilem concitationis ejus impatienti. Præmittit enim:

*Sed tantum appropera, quantum pote, corpore & ævo
Vt saluum videam, sat citò te video.*

Quibus verbis docet, petorrita non fuisse accommodata senioribus, & vel per ætatem vel per ægritudinem infirmis, sed robustioribus solummodo valentibusque. Interim ipse tamen locus ostendit, petorrita adhiberi solita, si quando faciendum esset iter, præsertim celeriter & cum festinatione. De itinere præter Aufonium testatur & Horatius lib. I. Sat. 6. Verba supra laudavimus, in quibus dicit apertè *ducenda petorrita, si rus peregre* ve diviti ac in dignitate publica constituto exeundum. Quamquam verò hic una cum Aufonio de itinere loquatur extra urbem, tamen & in urbe ipsa fuisse usurpata docet loco alio, qui est lib. II. ep. 1. Ait enim, ad spectaculum triumphii una cum essedis & pilentis festinasse:

Esseda festinant, pilenta, petorrita, naves.

Jam verò notum, triumphos habitos non extra urbem, sed in ipsa. Ergo & in urbe adhiberi solita petorrita. Et hæc quidem, quæ de isto genere apud veteres observavimus.

Cap. XXVII.

De Carruca.

Carruca. Καρέχα. Carrocha. Carrochium. Καρέχιον. Rotas habet quatuor. Onomasticon Argentoratense explicatur. Est de genere rhedarum. Lampridius exponitur. Capsus. Est alta. Carracutum. Est ornata ære argenteo. Meursius refutatur. Iunctas habet mulas binas vel quaternas, quod posterius tamen carpentum potius appellabatur. Carruce propriè non sunt carpenta. Plinius explicatur. Est vehiculum Senatorum & honoratorum, est & aliorum, sed sine ornamentis ex ære. Carruca feminarum. Carruca dormitoria. Carruca commodato accepta. Carruca meritoria in publico.

CARRUCÆ mentionem, nescio, an quisquam ante Plinium fecerit. Sic autem ipse lib. XXXIII. cap. II. *Nos carrucas ex argento calare invenimus.* Leguntur postea apud Svetonium & alios. Quidam non *carrucam*, sed cum adspiratione *carrucham* scribunt. Inde habes & apud Hesychium, *καρέχα ἄρμα*. Vallesius in Notis ad Ammia-

Ammianum lib. xiv. ubi ipse edidit *carrucis*: *Editio Romana habet carruchis. Quam scripturam tuetur Hesychius & vetus Glossarium. In Pandectis Florentinis carrucha semper scribitur, quomodo etiam in hoc loco codicem suum habuisse, testis est Lindenbrogius.* Suspicio, interdum & *carrocham* seu *carrocam* appellasse, quoniam habemus *carrochium* apud Scriptores semibarbaros, sine dubio à *carrocha*. Et sunt ferè litteræ permutabiles istæ. Sic enim dixere *totela* & *tutela*, *soper* & *super*, *seruos* & *seruus*, quod jam pridem Docti annotarunt. Nec fortassis alia est causa, cur in Glossis sit *καρρόχιον*, quod Latine est *carrochium*. Nomen suum unde habeat carruca, non omnino certum est, plerique tamen derivatam volunt à *carro*. Carrus sive carrum barbara est vox, opinione mea. Ita & carruca erit seu carrucha. Nec fortassis magna inter illa duo differentia, si vocem spectes. Nam & hodieq; per Germaniam & vicinas regiones, quod in uno loco *Karre*/id in alio est *Karch*. De figura sive specie carrucæ hoc invenio, primum rotas habuisse quatuor. • Corrafius lib. III. Misc. cap. 20. *Carrus quadrivotum est, hoc est, quatuor rotarum, à quo fit carruca, quæ parvum currum significat, totidem rotas habentem.* Similiter Vallesius ad Ammianum: *Est carrucha τετρακύκλον ὄχημα.* Ex Vallesio hausit Jac. Gothofredus in Commentario ad lib. xiv. Cod. Theod. t. 12. leg. 1. ubi ait: *Carruca seu carrucha in genere erat τετρακύκλον ὄχημα, id est, vehiculum cum rotis quatuor.* At verò longè aliter reperias in Onomastico Argentoratensi, quippe ubi legas ita: *Carruca, μονότροχον*. Est *μονότροχον* vehiculum unius rotæ, non quatuor. Itaq; secundum hunc auctorem unam tantum rotam habuerit, necesse est. Verum, si carrucas veteres rectè cogitamus, falsum hoc apparet. Qui enim vehiculum unius rotæ intervire potuit iis usibus, ad quos adhibetæ carrucæ? Sed fortassis ipse per carrucam genus aliud intellexit, nempe quæ aliquando & Germanis *Karch* & per diminutionem *Karchle* dicitur, unde *Schubkarch*/ quod *μονότροχον* & cum rota una, sicut alibi ostendi. Nam carruca, quæ usitata fuit apud veteres, haud dubie rotis pluribus incessit. Quare autem quatuor in ea memorent, ignoro, cum non viderim ex veteribus, qui disertim hoc testetur. Et existimo, venisse hanc in sententiam,

quia

quia viderunt rhedam quoque nuncupari. Vallesius profectò ita habet: *Est autem carrucha τέρρακυλλον ὄχημα, seu rheda.* Quoniam rheda, ideò τέρρακυλλον, quia tale vehiculum est rheda. Sed de rheda postea. Carrucham rhedam dici colligit Vallesius ex Hesychio, in quo legitur ῥήδιον, κάρχηον. Item Glossis Græco-Latinis, quæ sic habent: κάρχηον, *rheda.* Addo ego Martialem, qui, cum lib. V. epigr. de Basso præmisisset:

-- -- *Plena Bassus ibat in rheda:*

subdit de eodem:

Nec feriatus ibat ante carrucam.

Atque ita, quod prius rhedam dixit, postea nominat carrucam. Videtur idem voluisse Lampridius in Alexandri Severi vita, cap. 43. ubi ait: *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent, permisit.* Non existimo de diversis agere Lampridium, quoniam honorati ac in dignitate eadem constituti non diversis uti vehiculis solebant, sed iisdem. Igitur ῥὲ & non significabit aliud, sed idem, eritque loco vel adhibitum, & priorem dictionem explicabit. Quomodo Vopiscus in Aureliano: *Vehiculo suo, & judiciali carpento.* Quamquam verò carrucæ per rhedas explicentur, tamen non omnino easdem esse puto rhedas & carrucas, sed has arctiori sensu poni, istas latiori; Carrucas omnes esse rhedas, non vice versa rhedas omnes carrucas. Carrucarum sanè vox frequentius accipitur de vehiculo honoratiore, non ita rhedarum, ut sequentia firmabunt. Cæterum, carruca videtur fuisse tecta. Isidorus sanè memorat carrucam undique contextam, quam ait dictam *capsum.* Verba ejus: *Capsus, carruca undique contexta, quasi capsula.* Sic scribendum arbitror, non *contexta*, quod in mea legitur editione. Quamquam autem dubitem de capso, quippe quod hoc sensu alibi non reperiatur, tamen expositio demonstrat, nisi fallor, fuisse carrucas aliquas undique contextas. Dico aliquas, quoniam, si fuissent omnes, peculiari voce capso dici, minimè necesse fuerat. Censebantur autem vel præcipuè ab altitudine, quod colligimus ex Ammiano, qui Romanos ait hoc in laude gloriationeque posuisse. Ita namque habet lib. XIV. *Alii summum decus in carrucis solito altioribus & ambitiosa vestium*

cultu ponunt. Qualis aut unde altitudo ista fuerit, haud constat, nisi putamus, pertinere huc, quod legitur apud Isidorum, & in Glossis Arabico-Latinis Vulcanii: *Carracutum, vehiculum altissimarum rotarum, quasi carrum acutum.* Quod ait *quasi carrum acutum* Isidorus, sine dubio ineptum est. Quid enim acutum ad rotarum altitudinem? Malim credere, carrucas quasdam habuisse rotas altas profus, ut per hoc & ipsæ redderentur altiores. Eas deinde ad vulgarium differentiam *carracutia* vocatas. Præter altitudinem accedebant ornamenta varia. Primum quidem ex ære atq; ebore, mox & argento. Vopiscus in Aureliano cap. 46. *Dedit prætere a potestatem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent.* Quæ *carrucas* prius, ea mox *vehicula* appellat, voce specialius accepta. Neq; aliter intelligenda apud Lampri-dium vita Heliogabali, ubi ait: *Habuit gemmata vehicula & aurata, contemptis argentatis, & eboratis, & æratis.* Vehicula hic sunt carrucæ, quas non argento tantum, sed & auro gemmisq; cultas postea, hinc discimus. Ac æratæ quidem eboratæq; carrucæ longo tempore fuerunt in usu apud Romanos: Argentatæ verò cœpere Plinii temporibus. Ipse lib. XXXIII. cap. *Nos carrucas ex argento calare invenimus.* Notandum est, quod *calare* dicat, hoc enim ostendit, non pictas bracteis argenteis fuisse, verum sigillis ex argento solido distinctas, quia de re jam alibi est actum. Mansit genus hoc deinde longo tempore. Nā quod Meursius ab Aureliano factas putat argenteas, erraneum est. *Postea, inquit in de Luxu Romano, c. II. argentea quoque fuerunt (vehicula) primusq; ea dedit Aurelianus, teste Vopisco.* Nihil tale Vopiscus testatur, verum dedisse ait potestatem habendi carrucas *argentatas.* Pari modo interpretor & Symmachum, quando ait lib. X. ep. 33. ad Theodosium Imp. *Cum clementia vestra meminisset, facienda carruca impendium de sacro arario esse decretum; censuit, ut ejus argentum publicis conditis redderetur.* Jungebantur autem carrucis muli, quod ostendit Scævola l. 13. ff. de Auro, arg. *Quæsitum est, an carrucha dormitoria cum mulis, qua semper uxor usa sit, ei debeat.* Non minus frequenter, imò frequentius fortassis mulæ. Paulus lib. III. Sent.

Sent. t. 6. *Carruca cum junctura* (sic recte Cujacius emendat, pro *jaçtura*, quod habet vulgo) *legata, mula quoque legata videntur*. Inde habes *mulam carrucariam* apud Ulpianum l. 38. ff. de Edil. Edicto. *Quæsitum est, si mula talis sit, ut transjungi non possit, an sana sit: Et ait Pomponius, sanam esse, plerasque denique carrucarias tales esse, ut non possint transjungi.* Quando ait, *plerasque*, ostendit aperte, frequentem mularum in carrucis fuisse usum. Numerus earum fuisse binarius videtur. Lex Cod. Theod. de Honoratorum vehiculis lib. XIV. t. 12. *Omnes honorati seu civilium, seu militarium dignitatum, vehiculis dignitatis suæ, id est carrucis bijugis, intra urbem sacratissimi nominis semper utantur.* Habes nominatim *bijugas* carrucas, id est cum duobus jumentis. Hoc enim est *bijugum*, ut *curriculum bijuge* apud Svetonium in Caligula c. 19. Quanquam cum carrucas *bijugas* appellat nominatim, ostendere videatur, quasi fuerint & quadrijuges. Si enim omnes tales fuere, quid necesse erat, ut adjiceretur? Quare credo, carrucas etiam quadrijugas habuisse. Sed fortassis illæ non tam crebro *carrucæ*, quam *carpenta* dictæ. Ita suspicor ex Symmacho, quoniam, quam prius appellavit carrucam, postea nuncupat carpentum. *Solutio*, inquit, *si carrucæ usus maneret, de thesauris Imperialibus jure peteretur. Sed num carpenti novitate sum-mota, suum quisque deposcit.* Carruca de qua loquitur, est vehiculum Præfecti Urbis, proprieque carpentum dicebatur. Quod cum solenniter adjuncta haberet jumenta quatuor, liquet plane carrucam cum jumentis quatuor, significare carpentum. Nec fortassis alia major inter carpentum & carrucam fuit differentia, cum ut videmus, carpentum carruca nominatur. Quanquam cum & carpenta videamus cum adjunctis jumentis duobus, non inepte fortassis statuamus, etiam in reliqua forma quid diversum habuisse, quæ carrucæ dicebantur. Maxime cum distinguat inter sese Scholiastes vetus Horatianus à Cruquio editus ad lib. I. Sat. 6. ubi de pilentis agens disertim ait: *alia sunt carpenta, alia carrucæ.* Quia tamen ea differentia non fuit magna, & præterea carrucæ loco carpentorum cœperunt usurpari, hinc carrucæ interdum, quæ olim carpenta. Sic intelligendus Plinius videtur, quando ait: *Nos carrucas ex ar-*

gento calare invenimus. Loquitur de carrucis, tanquam diu notis, & usurpatis quondam sine argenti calamine. At vero carrucas nominavit nemo ante Plinium, quod sciam. Quare sequitur, per carrucas intellexisse, quæ olim carpenta dicebantur. Ac fortassis orto ea ætate carrucarum usu loco carpentorum veterum, etiam vox invaluit, dictæq; carrucæ etiam carpenta. Usus carrucarum fuit, qualis carpentorum veterum. Vecti primum eis viri, nominatimq; Senatores. Ita docet Spartianus in Alexandro Severo: *Carrucas Romæ & rhedas Senatoribus omnibus ut argentatas haberent permisit.* Deinde & honorati alij, quod apparet ex lege Codicis Theodosiani allata in superioribus, ubi nominatim habemus: *Omnes honorati seu civilium, seu militarium dignitatum carrucis utantur.* De his intelligendum est, quod Vopiscus habet in Aureliano: *Dedit prætereapote statem, ut argentatas privati carrucas haberent, quum antea ærata & eborata vehicula fuissent.* Nam privati hoc in loco sunt accipiendi Principis respectu, quod jam viri docti observarunt, id est honorati omnes, maxime Senatores. Quorum carrucas tamen cum & Vopiscus, & ante ipsum Spartianus ostendant fuisse argentatas, consequens videtur, ut aliorum credamus mansisse æratas atq; eboratas, & sic carrucarum usum sic in universum non fuisse proprium tantummodo honoratorum, sed & aliorum. Illud habuisse honoratos præ aliis, ut carrucis argentatis fas haberent uti. Post viros usus carrucarum pertinebat etiam ad feminas. Inde quæstio apud Scævola l. 13. ff. de Auro, Argento. *Quæsitum est, an carrucha dormitoria cum mulis, qua semper uxor usafit, ei debeat.* Loquitur velut de re non infrequenti, unde id colligitur, quod dixi. Pertinebant autem carrucæ honoratorum quidem, ad monstrandum munus, quod in republica sustinerent. Inde Lampridius de Alexandro Severo, & concessio ab ipso jure Senatoribus, quo possent uti carrucis argentatis: *Interesse Romanorum dignitatis putabat, ut his tantæ urbis, Senatores veherentur.* Eodem spectat lex de honoratorum vehiculis in Codice Theodosiano, qua libenter credimus eruditissimo Jacobo Gothofredo, non permissum modo, sed præceptum etiam fuisse honoratis urbis, ut hoc

gene-

genere vehiculi uterentur. *Mihi*, ait ad legem illam, cujus ante verba retuli, *sententia sedet, neq; fastum hac lege reprimi, neq; Honoratis tantum carrucarum usum permitti; verum si recte capio, omnibus honoratis necessitatem imponi vehiculis dignitatis suæ, quæ utiq; erant carruca bijuges, semper utendi intra urbem. Vehiculis, inquit, dignitatis suæ SEMPER UTANTVR: quæ verba, ni fallor, necessitatem important omni loco & tempore.* Quanquam usus ille olim fuerit promiscuus, & carrucis vecti sint non argentatis modo, sed & aureis, etiam privati. Privatus enim, & in nulla constitutus dignitate videtur fuisse Quintus, quem perstringit. Martialis lib. V. quod habuerit carrucam auream.

Aurea quod fundi pretio carruca paratur.

Nec fortassis hæc postrema fuit causa, cur deinde usum vehiculorum Marcus Imperator sustulerit in urbe. Capitolinus cap. 23. *Marcus sederi in civitatibus vetuit in equis sive vehiculis.* Mulierum carrucæ ad delicias præcipue referebantur, ut in eis molliter vectæ conciliarent sibi somnum. Quo spectasse puto *carrucam dormitoriam*, cujus Scævola facit mentionem. Nec enim peculiarrem existimo intelligendam, quasi fuerit aliqua dormitoria, alia aliis usibus destinata, sed communem, qua tamen matrona illa usa sit peculiariter hoc fine. Nam aliæ ad alia usurpabant, ambulationes per plateas, confabulationes ac id genus, quod facillimum est intellectu. Atq; quoniam is frequens carrucarum usus, inde credo fuisse, qui utendas elocarent, saltem commodarent, commodatoque acciperent. Inde namque Paulus l. 17. ff. Commodati, ex Pomponio: *Eum qui carrucham vel lecticam commodavit, non recte acturum de singulis partibus.* Habebat autem has carrucas domi suæ in peculiaribus, & ad id paratis stabulis. Quod colligimus ex Ulpiano, quando ait, l. 13. §. ult. ff. de Usufruct. & quemad. inique eum facere, qui cum habet legatum domus usumfructum, meritoria illic instituit, aut *si stabulum, quod erat domi jumentis & carrucis vacans, pistrino locat.* Atq; hæc de carrucis.